



Oratio de origine reipublicae Batavae, priscaque illius imperii forma

<https://hdl.handle.net/1874/214713>

5

ORATIO

DE
ORIGINE
REIPUBLICAE BATAVAE,
Priscaque illius
IMPERII FORMA;
QUAM HABUIT
ISAACUS DE LESPAUL
IN TEMPLO GALLICANO,
TERTIO DIE MENSIS AUGUSTI A. C. CCXXX.



REMUNERANTE MINERVA

GYMNASIUM PUBLICUM
ILLUD ET IUSTITIA
ARTIBVS ET LITERIS
IMBENO DEDICATUM

ANNO MDCCCLXV

SCULP. ET F. J. V. B.



DELPHIS Apud REGNERUM BOITET.

*NOBILISSIMO, AMPLISSIMO,
SPECTATISSIMOQUE VIRO*

ADRIANO BOOGAERT,
DOMINO A BELOTS,
J. C. URBIS DELPHENSIS SENATORI ET
JUDICI, AC SÀCRORUM BONORUM,
QUAE VULGO CONVENTUALIA DICUNT,
Quaestori, CET. CET. CET. VITRICO
SUO, DE SE STUDIISQUE SUIS BENE
MERITO, ATQUE INDIES PRAECLARE
MERENTI, EA, QUA PAR EST, OBSEQUII
HONORISQUE OBSERVANTIA, AD RO-
GUM USQUE PROSEQUENDO,

ORATIONEM HANC
D. D.

*Devotissimus Dignitati Nominique
ejus Cliens*

ISAACUS DE LESPAUL.

Nobi-

Nobilissimi Amplissimique Viri:

SCHOLAE DELPHENSIS CURATORES
ac PRAEFECTI dignissimi;

URBIS DELPHICAE PRAETOR,
Vir honoratisime;

CIVITATIS DELPHENSIS
CONSULES, SENATORES, ac JUDICES,
*Viri Nobilissimi, Spectatissimique; & qui iis a
manu & consilii estis, Viri Prudentissimi;*

ORACULORUM SACRORUM
INTERPRETES, fidelissimi, integerrimique;

ARTIUM QUARUMLIBET DOCTORES
ac MAGISTRI Solertissimi;

JUVENTUTIS SCHOLASTICAE
MODERATORES Eruditissimi.

*Quicumque porro hic adestis,
CIVES, HOSPITES, ADVENAE, cuius-
cumque loci atque ordinis Auditores optatisimi;*

TU DENIQUE COMMILTONUM
meorum corona Jucundissima.

ORA-

ORATIO
DE ORIGINE
REPUBLICAE BATAVÆ,
Priscaque illius
IMPERII FORMA.

Gospes in patria ne quis sit, communi sermone admonemur. Quanti vero ponderis ac momenti id esse debet nobis Adolescentibus, qui jam majoribus gravioribusque disciplinis praeparamur, in praesentia statui ostendere. Dicam enim de Forma & Antiquitate Reipublicae Batavae, quae vos in lucem edidit ac suscepit; idque agam potissimum, ut in Majoribus vestris praesentium rerum Batavarum statum atque ordinem, mecum suspicere ac magni facere possitis. Universae quidem Rei Batavae priscam conditionem, quasi per saturam in conspectum dederunt alias Juvenes ornatissimi. Adprobata variis Oratiunculis est praestantissimæ Reipublicae origo; & quae proxima

A

Ori-

DE ORIGINE

Origini , fatorum, quibus subinde pressa fuit, lex sanequam dura. Nunc, quae aliorum industria vel carptim attigit, vel praeterire coacta fuit, fusius exponere est animus. Vos, A. H. boni consuletis, si ad notitiam Batavae Reipublicae, ad quam hoc tempore, veluti signo dato, ardentiore studio undique concurritur, nonnihil, Duce Magno * illo & incomparabili Batavo, vel lucis vel industriae meis commilitonibus conferre sim conatus.

Cunctas nationes vel per populum; vel per Optimates; vel denique unius arbitrio regi constat. Optimatum autem regimen vel Principatum sibi adjunctum habet, vel sine Principatu est. Principatum cum dico, eximiam intelligo unius hominis auctoritatem, potestate aliorum ac legibus circumscriptam definitamque. Atque in hoc a regno differt Principatus; quod in hoc legibus obnoxii vivant Principes; in illo arbitria Regum pro legibus habeantur. Itaque Romani Imperatores; qui avitis legibus administrandam sibi esse Rempublicam, posthabita ambitione, quae eas disloveret, in animum inducebant,

Domini

* Hugone Grotio.

REIPUBLICAE BATAVAE. 3

Domini & Regis appellationem palam abomina-
bantur ; cum *Principis* nomine e contrario acquie-
scent laeti. Quamquam non raro accidit , ut
Principatus in regnum commutatus fuerit. Quod
tunc in primis usu venit , ubi Cives vel Princi-
pum suorum , majorumve ipsorum beneficiis
provocati ; vel salutaribus , ab iis datis , legibus
adjuti ; vel bello denique ab iisdem defensi ,
summam rerum hostimenti vicem , domi forisque
Principi adsignabant. Ceterum Optimates ;
penes quos summa est potestas ; suffragia ferunt ,
vel singuli per se ; id quod Venetiis in more
positum est ; vel per Tribus.

Quae quidem Tribus vel ejusdem formae sunt ;
vel diversae. Ejusdem formae ; ut apud
Achaeos ; quorum concio constabat ex delega-
tis Civitatum. Diversae autem Tribuum , ci-
viumque eas constituentium formae , oriuntur
ex diversis respectibus , pro quibus aliter atque
aliter ad regimen reipublicae ordinantur. Iste
* respectus , quibus sic ordinati , sui corporis
cives repraesentant , *ordines* appellantur , vel
Status. Quales in Optimatum Republica Plato

A 2

voluit

* *Qualiteiten.*

voluit esse, unum Ephorum; alterum Militum; & tertium Agricolarum. Quod si in libera ejusmodi republica plurimum valeant Optimates; vocatur *Ordinum* regimen; si vero accedat Principatus legitimus, temperatam Principis atque Ordinum potestate aequitateque dixeris ejusmodi Rempublicam; media ea cum sit inter Regiam potestatem & Democratiam, seu popularem auctoritatem.

Vetustissimorum quidem Batavorum, qui a Germanis originem ducunt, res Cimmeriis tenebris involutas, parumque cognitas esse constat; partim socordia gentis, quae praecolla virtutis documenta memoriae posteriorum tradere neglexerit; partim contemtu & invidia Romanorum, quos virtutem & strenua bellicosissimarum Gentium, quas bello experti essent; facinora, vel indigna praeconio habuisse verisimile est; vel tantum sibi bellicae virtutis detrahi, quantum alienigenis tribuerent, perverse dolentes, res ab ista natione praecolare gestas, silentio opprimi maluisse statuendum est.

Quae vero majore quadam verisimilitudine de Gente ista tradi possunt, ea leviter perstrin-
gemus.

gemus. Igitur Batavi, Cattorum, qui nunc Hessi vocantur, bona pars, aliquot ante Julium Caesarem annis, in ea loca commigrarunt, quae adhuc tenent, in Insula videlicet, quae Oceano & Rheno cingitur, atque in locis proximis citeriori ripae fluminis Rheni; quae ripa vulgo Gallica aut Belgica appellatur. Ibi pluribus locis, quae incognita atque inculta erant, aditis, fecerunt aequissima naturae lege; quae dictat *rem nullius cedere occupanti*; ut quidquid terrarum sic invenissent, pro suo haberent tenerentque. *Celtas* autem, quod commune Gallis, Batavorum vicinis, Germanisque nomen erat, constat Optimatum Imperio fuisse addictos. Et quamquam in populo Batavorum essent, qui regio titulo imperarent, id tamen minime officiebat libertati; cum isti solo nomine, non autem revera, *Reges* audirent, & primi tantummodo haberentur inter Optimates; quemadmodum in Lacedaemoniorum Republica fuisse accepimus. Saepius tamen *Ducem*, praecipue si quis insigni virtute praestaret, in bello coöptabant hae Gentes, posthabita Regis Auctoritate.

Testes hujus rei sunt apud Batavos Civilis, & complures ante eum. Horum autem, tam Regum, quam Ducum definitam, non vero absolutam fuisse potestatem, Comitumque posteriorum imperio haud dissimilem, ut credamus ratio monet. Isti autem, adscitis Regionum Civitatumque Praefectis; qui deinceps *Nobiles*, *Baronesque* dicti fuere; tum delectis ex Plebe nonnullis, rempublicam regebant.

Conspecta a nobis est hactenus Batavici Regiminis forma, incunabilis istius populi aequalis. Florente Romano Imperio, Batavi aequo cum Romanis foedere adversus hostes suos, Germanos, Gallos Helvetiosque stetere, nulla Libertatis jactura, idque unum potentioribus suis Sociis dantes, ut * majestatem populi Romani comiter conservarent. Et erat sane utrisque tam Romanis, quam Batavis valde necessaria appositaque ejusmodi Societas; cum isti paratum haberent provisumque in virtute Batava adversus hostes imperii praefidium; his vero contra domesticas & intestinas dissensiones sedi-

* Met eerbiedigheyd en vriendelykheyd jegens de Roomscbe Mogentheyd zyn toegedaan, en dezelve voorstaan.

REIPUBLICAE BATAVAE. 7

seditionesque refugium ostentarentur arma Romana. Cum vero subjectionis in aliquo populo signa haberentur, si is Magistratibus Romanis pareret, & tributa vectigaliaque penderet; horum nihil Batavi senserunt, suis Praefectis non alienis semper usi, atque immunes onerum, quae victor aliis gentibus imponit.

Isti porro Societati, qua Batavi Romanique tenebantur, ansam praebuisse videtur Julius Caesar; qui primus Romanorum Ducum, has regiones ingressus, cum penetrasset ad Confluentes Rheni Mosaeque, fidelem initae Societatis operam in Batavis sensit, variis praeliis atque expeditionibus bellica eorum virtute ac solertia adjutus. Mansit ista Societas integra atque illaesa, a Julio Caesare ad Imperatorem usque Vespasianum, hoc est, per centum fere annorum spatium. Post quod tempus injuriis, contumeliis, atque avaritia vexati Batavi, sese ab Romanis, non amplius Sociis, sed oppressoribus ac tyrannis, in libertatem vindicarunt, impulsore ac Duce eodem, quem modo dixi, Claudio Civili. Quamquam deinceps sub Trajano, Adriano, Constantio,

cete-

ceterisque Imperatoribus, virtus Batavorum adhuc clara fuit; insigni documento, stetisse tam diu eorum rempublicam, & celebratum per tot annos nomen viguisse.

Insecuta sunt Francorum; quorum Soboles Salii, bella; qui partem insulae Batavorum, Transisulaniae proximam, occuparunt; ac tandem collecta ex Quadis & Saliis manu, commune Sociatis gentibus nomen Batavorum adscivere.

Post lapsum imperium Romanum, invadentibus solicitantibusque Batavorum res hinc Saxonibus & Slavis; inde Normannis ac Danis, per quingentorum spatium annorum, ad primam usque Comitum institutionem, tenebris obducta sunt fere omnia, quae huic nationi illustrandae forent. Primum coepti hic *Frisii* absolute & sine additamento, dici Batavi; qui jam tempore Plinii *Frisii* cognomento *minores* fuerant appellati; quos custodiae corporum Imperatorum constat fuisse adhibitos. Neque aliter, quam *Frisii* primum appellati Comites; neandum vulgato Hollandiae vocabulo, & blandiente in primis nomine, quod libertatem indi-

indicaret. Sunt, qui Procopium secuti, Batavorum Insulam tribus olim nationibus inhabitatam fuisse velint; Brittonibus scilicet, Anglis & Frisiis; permansisseque adhaec usque tempora memoriam *Domus Brittonum* in litore Batavo, ad Medium Rheni ostium. Quae si admittantur, probabile videri poterit, gentes istas, infestis *Pictorum*, aut Normannorum armis coactas domo cedere, cavisse sibi locis palustribus, ac receptaculis proximis mari, contra impetum furoremque persequentium.

Hactenus vetustissimae Gentis Batavorum initia & progressum persecuti sumus, adhibitis differentiis, quibus seu florens, seu inclinatum Imperium Romanorum causam & occasionem dedit.

Ad Comitum tempora accedamus. Ante Didericum igitur, qui primus fuisse Hollandiae Comitum perhibetur, multi in Gente Batava Praefecti fuere, *Comites* vetustis Latine id temporis loquentium legibus vocati; quos, quod aequali dignatione Principem sectarentur, a *cumeundo* sic appellatos fuisse verisimile est. Nisi quis a Jure dicundo eos *Grafones*

dictos fuisse malit; cum Germanorum sermone
 * *Grav* Judicem Fiscalem sonaret; probante id
 ipsum *Dykgraviorum* apud nos communi appella-
 tione, quae Praefectum innuit sive Judicem,
 qui cognitionibus de aggeribus praesit, easque
 discepet. Pari ratione Zeelandiae Valacriam;
 Hollandiae Maaslandiam Texeliamque Comita-
 tus titulo insignes quondam fuisse, fide prisco-
 rum monumentorum admittimus scilicet. Nec
 minus nobilissimae antiquissimaeque Wassena-
 riorum Genti *Burg-Graviorum* cognomentum
 adhaesit; tamquam *Burgi* h. e. Arcis Leidensis
 Judicibus ac defensoribus. Istorum igitur Prae-
 fectorum, Magistratumque Urbicorum consi-
 liis coeptum est provideri, quomodo Bataviae
 populus, non in praesens modo, sed in poste-
 rum quoque tutus ab hostili vexatione foret.
 Lectus igitur ab iis est non *Regis*, sed simplice
Comitis nomine; quasi universae nationis Comi-
 tem dicas, qui Rempublicam administraret.
 Atque is Didericus fuit istius nominis primus,
Frisius in priscis monumentis appellatus; quod

Ba-

* Vid. *Lindebr. Glossar.* Cod. L. L. Antiquarum ad vocem
Graphio.

REIPUBLICAE BATAVAE. II

Batavis ad mare sitis id cognomentum competitabat.

Videtur autem is Didericus, ex sententia summorum virorum, consilio atque auctoritate Nobilium; accedente Civitatum favore, supremae istius apud Batavos dignitatis fuisse compo factus; sic, ut is universae nationis, non hujus alteriusve populi vel Civitatis Comes crearetur. Ceterum fuisse primos Batavorum Comites absoluta ac pari Regiae dignatione, vetus Philippi * Leidensis dicti testatur scriptum, quo is Comites Hollandiae, suo in Comitatu, pronunciat esse *Imperatores*. Hanc autem summae potestatis praerogativam defenderunt quoque Hollandiae Comites, ipsique adeo Regionis Ordines; quotiescumque Majestati Batavae derogare conarentur inimici.

Quod vero certissimum videri debet hujuscce potestatis, non aliunde pendens, argumentum; numquam neque Burgundi, neque Austriae Comites Imperatoribus, Hollandiae causa clientelarum fidem dederunt. Quid quod Germani

* Vixit is, regente Hollandiam Gulielmo primo Bavaro.

mani ipsi fateantur, legibus ac jure Imperii, ipsiusque adeo Imperatoris, solutam esse Hollandiam? Ita quidem ab externa potestate liberos, ad hoc usque tempestatis Hollandos pronunciare nihil vetat.

Intus vero atque in Republica quod Jus, quaeve potestas Principis, quae vero Ordinum fuerit; altioris indaginis esse statuunt summi harum rerum arbitri; propterea quod adhuc in quaestione sint, quibus Didericus primus imperium in hanc regionem acceperit, leges. Probabilis tamen conjectura est, auctorati, quam imperio propiorem fuisse Comitum istam in suos potestatem; facientibus fidem ejus rei externis nonnullis scriptoribus, qui imperium harum regionum tam legibus circumscriptum, quam Ordinum decretis fuisse temperatum ostenderunt.

Postularet hic locus interseri bonam legum istarum partem, ut appareret, quam salutari bus Majorum institutis provitum fuerit domi forisque ornatisimae huic Reipublicae. Sed brevitati studere monet hortaturque lex Scholastica. Illud tamen non possum quin attingam, habitos
in

REIPUBLICAE BATAVAE. 13

in hac regione pro legitimis * Principibus , eos solum , qui Ordinibus jurejurando cavisserent de publicarum legum atque institutorum observantia ; sic denique nec alia ratione promissam iis , secundum leges omnia exacturis , ab civibus fidem atque obsequium .

Ne vero quis dubitet , in sinu Ordinum conquievisse supremam absolutamque Regionis potestatem , prohibet administrata ab Equestri ordine & civitatibus Respublica , quoad Florentii quarti morte vacuus Principatus alium Comitem adscisceret . Confirmant id ipsum matrimoniorum conditiones , ex praescripto Ordinum Principibus implendaे , compluraque alia , quae Ordinibus vindicant imperii Majestatem .

Atque haec tenus levi saltem colore adumbra tam dedi formam Reipublicae Batavae ; quae , ordine ducto , inde a temporibus Julii Caesaris , per mille & septingentos amplius annos , auctoritatem ordinum , adversus quamlibet impotentem dominationem , conservavit salvam atque integram .

Nunc

* Vid. Privilegium Magnum *Mariae Burgundiae* , in Vita Gulielmi primi , Belgice conscripta , Introd. pag. 20. Part. sec.

B 3

14 DE ORIGINE REIP. BATAVAE.

. Nunc singula Reipublicae membra si velim attingere, eorumque ordinem, potestatem, mutuosque inter se respectus vobis ponere ante oculos, adhaec publicorum Munerum, quiue iis funguntur, expedire rationes; intelligitis facile, quam latum dicendi campum ingredi sustinerem. Sitis ergo hoc Catone contenti, qui vobis priscam ante omnia Batavae Reipublicae faciem voluit repraesentare, ut ex mutua, & antiquae, & novae forma Reipublicae, facta comparatione, tanto clarius utriusque enitesceret notitia.

Vobis Spectatissimi atque Amplissimi Viri, Scholae Delphensis Curatores; quod tam prolix de me bene mereri voluistis, maximas ago gratias. Idque unice precor, ut vestro praesidio literis probe imbuta patriae soboles ad eximium quodque decus revirescat, floreat, fructus ferat saluberrimos.

D I X I.

N O B I L I S S I M O
A T Q U E C A R I S S I M O
J U V E N I
I Z A A C O D E L E S P A U L ,

Cum hic, post habitam, summâ cum laude,
Orationem, ad Academiam promoveretur.



*Non mihi cum bello res est, non militis ardor,
Me tenet, aut membris corpora caesa suis.
Agmen sed Martis nimium crudele relinquens,
Dulcia Musarum doctaque castra sequar.
O decus, & columen generis, tibi debita solvam,
Si ingenium nequeat, cogito, posset amor;
Te LESPAULIADEN dico, memorande sodalis,
Quo mihi nec quisquam carior esse potest.
Mundo ut desiterit claram lucem dare Phoebus,
Aequor in Eoum merget acutus equos;*

Multus

177291

*Multus & in coelis fulcus findetur aratro ;
Delphin & in sylvis corpora curva feret ;
Quam mea debilitent tecum, mihi cognite longo ,
Foedere amicitiae , vincula sancta , prius .
Foedere non Pylades unquam comitavit Oresten ,
Ut fuit omne meum cor tibi , amice , datum .
Bella geris socio me , tecum bella gerente ,
Socius atque ego sum , dum tibi palma datur .
Sic oro nunc , coelis numen quod subsidet altis ,
Imperansque , in terras fulmina dextra jacit :
Lege det ut Batavam , publice quam voce fovisti ,
Terram defendas , sis mibi & usque favens .*

J: L U I S C I U S.

1740.

a.2286^e